



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 2. Quomodò consideranda sit gravitas materiæ Injustitiæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

S E C T I O II.

Quomodo consideranda sit gravitas materiae Injustitiae?

689. QUAM difficilis sit hujus quaestionis resolutio, non aliter potest melius explicari, quam proponendo varietatem sententiarum. Tria, ut supra diximus, sunt bonorum genera, nempe fortunarum, famae, & honoris, atque in unoquoque bonorum genere sunt tot quasi sententiae, quot capita, ut constabit ex sententiis circa bona fortunarum, ad quorum gravem injuriam Navarrus assignat dimidium Julium, Salas 1. Lessius, & Medina 2. Valen. & Rebellus 3. Sanchez, & communior 4. Vega 5. Faustus, & Sayrus 3. respectu divitum, 1. respectu pauperum, 2. respectu mediocrium, Bonacina, Diana, Navarrus, & alii 1. scutum respectu personarum Illustrium, & splendide familiam sustentantium, 4. Julios respectu divitum: communior 2. respectu operariorum, 1. respectu mendicorum: Tamburinus 1. vel 2. respectu pauperum, 4. vel 5. respectu mediocrium 10. respectu divitum 20. vel ferè 30. respectu ditissimi Principis.
690. Medina assignat mercedem diurnam fossoris respectu non valde divitis, vel relatè ad communes homines. Esparza mercedem correspondentem labori diurno. Corduba valorem unius gallinae. Lessius cum aliis docet, unum aureum, seu scutum etiam respectu divitum, aut Principum esse materiam gravem: id, quod extendit respectu Principum, & Praelatorum locupletissimorum Fagundez Tom. 2. lib. 7. cap. 1. ad duo, vel tria ducata: Lugus disp. 16. sect. 2. assignat unum aureum respectu Principum, & Magnatum, sex, vel septem Julios respectu divitum, quatuor respectu artificum, & valorem victus diurni, seu diurnae mercedis, quae tempore medio inter aetatem, & hyemem datur fossori, respectu pauperum. Marcantius, Muniesla, & alii assignant unius diei victum personae, cui furaris, proportionatum. Hæc sunt hominum doctissimorum judicia, quot capita, tot ferè judicia, quæ tamen ad duas classes reduci possunt.
691. Prima classis est eorum, qui pro gravitate assignanda non habent rationem personarum. Sic quinque priores sententiæ, quibus quoad hoc favor Esparza, & augere videtur Vigas apud Dianam quaest. 6. Tract. 6. resolut. 48. asserens notabilem quantitatem in furto requiri, ad minus unum aureum in Regionibus abundantibus pecuniâ. Sed certè videtur negari non posse aliquam materiam esse gravem respectu unius personae, quæ non esset gravis respectu alterius; non enim omnibus æquale inferitur detrimentum per ejusdem quantitatis oblationem, neque omnes videntur æquè invitati: Respondebis cum Esparza in gravita-

te pensanda per se non debere attendi ad damnum ab aliis circumstantiis pendens; si enim hoc attendatur, omnes conveniemus esse grave furtum à fatore v. g. furari acum, si ille aliter non possit acquirere victum: sed debere attendi quantitatem certam in se relatè ad jus Domini, quod quidem jus non est peioris conditionis in divite, quam in paupere.

Idcirco per eandem quantitatem pariter læditur jus Domini secluso alio damno, & certè si damnum illud gradatim considerandum esset, servata bona proportione, facile erit cuique deducere, nec mille aureos esse gravem materiam respectu Regis potentissimi. Quòd si valde dives, aut Princeps ratione sui status non est invitus, quod sæpe à generosiori indole provenit, quàm à majoribus divitiis, sed prudenter existimatur permittere, vel saltem non graviter ferre ea furta, alioquin per se sufficienter gravia, hoc jam non tam pertinere ad levitatem materiae, quàm ad voluntatem præsumptam Domini, quo in casu cessat ratio furti; ad hanc autem Dominorum voluntatem prudenter præsumendam, atque adeò ad excusandum proinde multa lethalia in furis proderit multum illa personarum diversitas bene considerata, non verò ad pensandam gravitatem materiae secundum se, quod in præsentem intendimus.

Assero nihilominus 1. cum reliquis Authoribus supra citatis contra istam sententiam: ad pensandam gravitatem injuriæ in bonis fortunæ attendenda est qualitas personæ. Probatur min. Non datur materia gravis furti, seu læsionis juris alterius propter accceptionem extrinsecorum bonorum, nisi quando ratione quantitatis acceptæ cum læsione talis juris posset Dominus esse graviter, & rationabiliter invitus; sed propter eandem quantitatem ablatam, ratione cujus pauper est graviter, & rationabiliter invitus, non posset valde dives esse graviter, & rationabiliter invitus; ergo ad considerandam gravitatem materiae furti attendenda est qualitas personæ; non enim posset Dominus esse graviter, & rationabiliter invitus, nisi propter rem, quæ accipitur, patitur gravem juris sui læsionem: sed ea, quæ est gravis læsio respectu pauperis, non proinde est gravis respectu valde divitis, ut ex terminis patet; ergo &c.

Conf. Juxta comunem T. T. sententiâ, & etiam Adversariorum non est grave de aliquo dicere peccatum occultum affine aliis peccatis, de quibus ipse jam est infamatus, v. g. de publica meretrice, quod turpiter collocata sit adolescentibus, de concubina, quòd miserè epistolam amatoriam, de publico latrone, quòd in sua domo furtum attentaverit, & nihilominus si crimen occultum, quod nunc de illo dicitis, est alterius generis, nec connexum ordinariè cum aliis, de quibus ille erat publicè infamatus, graviter detrahis, & lædis jus proximi, vel si id facias respectu alterius, qui

infamatus non est; sed id non aliunde provenit, nisi quia respectu unius est gravis lætio juris ea, quæ gravis non est respectu alterius, vel etiam respectu ejusdem sub diversis circumstantiis; ergo ad læsionem gravem in materia proprietatis, & furti attendenda est qualitas personæ.

695. Probatur 2. Juxta communem Doctorum sententiam grave est, revelare de viro probatæ vitæ, & timorato, fuisse perjurum, aut homicidam, aut furatum esse rem notabilem, vel commisisse aliud lethale peccatum; tum etiam dicere de viro aliquo gravissimo nobilissimæ dignitatis, & auctoritatis esse mendacem, quæ quidem non essent mortalia respectu viri improbi, aut alterius, qui de peccatis venialibus nullam curam habet: at hoc non aliunde desumi potest, nisi quia ejus juris lætio respectu unius censetur, & reverâ est gravis, quæ respectu alterius neque censetur, neque est gravis; ergo ad læsionem gravem juris proprietatis maximè attendi debet personæ qualitas. Confirmatur explicando Esparzam æquivocatore: licet aliquis minus dives propter generosorem indolem non graviter indignetur ratione quantitatis ablata, ob quam alter magis dives indignatur, non exinde tollitur, quin possit graviter, & rationabiliter indignari, ac proinde attendi debet non quidem ad generosorem indolem, sed ad eam læsionem, quam propter quantitatem ablatam patitur, & ratione cujus possit graviter, & rationabiliter indignari; atqui ea lætio, ratione cujus pauper potest rationabiliter, & graviter indignari, non est sufficiens, ut valde dives possit graviter, & rationabiliter indignari; ergo ad assignandam gravitatem materiæ in hujusmodi rebus attendenda est quam maximè gravitas personæ.

696. Secunda classis est eorum, qui proportionem servant pro diversitate personarum. Sed proportio, quam aliqui assignant, videtur aliis valde improporcionata propter hanc rationem dubicandi; Rex enim opulentissimus incomparabiliter excedit in divitiis ordinarium divitem, quam hic artificem, & artifex pauperem; cum tamen multæ sententiæ supra memoratæ parem ferè assignent excessum inter materiam gravem respectu Principis, ac divitis ordinarii, ac inter hunc, & artificem, ac pauperem: insuper, si damnum attendas, majus est respectu pauperis in furto mercedis diurnæ, quam respectu Regis in furto aurei, vel respectu divitis in furto 4. aut 6. Juliorum; ergo si illud prius damnum non excedit quantitatem furti gravis respectu pauperis, istud posterius non poterit esse satis ad materiâ gravem. Respondent plures cum Card. de Lugo, futurum satis; quia quamvis semel commissum non inferat grave damnum, inferret tamè, si graviter non prohiberetur, eoque committeretur sæpius: unde etiâ valde dives, & Rex potentissim⁹ sentiret gravia damna. Displicet etiâ ista sententia sic explicata; quapropter

R. P. Gormaz Theolog. T. 2. c. 11.

697. Affero 2. Ad materiam gravem in injuriis fortunarum non est considerata proportio personarum, ex eo titulo, quòd si contra Principes committeretur furtum, nec esset reverâ prohibitum, committeretur sæpius, & sentirent gravia damna. Probatur 1. quia exinde fieret contra istos Authores, dimidium aureum esse quoque materiam gravem respectu Regis, quia si sæpe repetatur hoc furtum, erit grave damnum, quin potius exinde fieret, solam frequentiam prohibendam esse sub gravi, non verò unum furtum unius aurei; atqui, ut ipsi constanter docent, unum furtum unius aurei satis est ad materiam gravem respectu Principis; ergo materia gravis in ratione furti non pensanda est ex eo titulo, quòd si graviter non esset prohibita, committeretur sæpius, & exinde Princeps sentiret grave damnum.

698. Probatur 2. Aureus sæpe ablati non est ablatio unius aurei, sed multorum; ergo si grave damnum respectu Regis non est aureus, sed aureus sæpe ablati, non erit furtum grave ablatio unius aurei, sed multorum respectu Regis; sed hoc est contra Adversarios; ergo titulus, quem ipsi assignant, nullius est roboris. Conf. 1. Respectu pauperis assignatur per Vos pro materia gravi quantitas, quæ semel ablata est grave damnum; ergo similiter respectu divitum assignari debet quantitas, quæ semel etiam ablata sit ipsi grave damnum, alioquin minus confuleretur pauperibus, quam divitibus. Confirmatur 2. Sicut quantitas unius aurei sæpius ablata est grave damnum respectu Regis, ita quantitas unius oboli sæpius ablata erit grave damnum respectu pauperis; ergo si ob eam rationem unus aureus est grave furtum respectu Regis, etiam unus obolus erit grave furtum respectu pauperis. Vide alias impugnationes apud Esparzam quæst. 28.

699. Affero 3. Materia gravis in ratione injustitiæ commutativæ ea est, ratione cujus Dominus possit esse graviter, & rationabiliter invitus: proinde si sit persona extranea, in bonis fortunæ, satis est ad materiâ gravem unius diei victus personæ, cui furaris, proportionatus. Conclusio ista duas continet partes: prima quidem certa est apud omnes; etenim si materia furti talis sit, ut ratione ipsius Dominus manere possit graviter, & rationabiliter invitus, sufficiens quoque est ad lædendam graviter charitatem, & pacem: ut ex terminis patet; atqui materia, quæ ex se sufficiens est ad lædendam graviter charitatem, & pacem, sufficiens quoque est ad peccatū grave contra justitiam, ut cum Divo Thoma, & ferè omnibus Doctoribus diximus à num. 683. ergo &c. Confirmatur. Finis justitiæ (cum hæc sit virtus ad alterum) est pax inter Dominum, & non Dominum, juxta illud Isaia 32. *Et erit opus justitiæ pax*; ergo ea materia, quæ per se sufficit ad gravem indignationem Domini læsi, sufficit quoque ad grave peccatum in ratione injustitiæ.

Proba-

U

700. Probatum jam secunda assertionis pars 1. quia victus unius diei personæ extraneæ, cui furaris, proportionatus, ita est cuique necessarius, & conveniens, ut ejus injusta ablatio censeri non possit insufficientis ex natura rei ad lædendam pacem, & charitatem: & quidem nemo prudens non censet grave respectu cuiuslibet privari necessariis ad victum sibi proportionatum, & cogi integro die tali victu carere; ergo hæc censenda est materia proportionata gravis ad injuriam in bonis fortunarum. Confirmatur. Merces mercenarii censetur necessaria ad proportionatum victum illius; sed hæc censetur materia gravis, ejusque retentio graviter prohibetur Levitici 9. *non morabitur apud te merces mercenarii usque mane*; ergo victus unius diei personæ extraneæ, cui furaris, proportionatus censendus est materia gravis ad injuriam in bonis fortunarum.

701. Probatum 2. In nostra sententia non metimur quantitatem rei ablatæ, intra quam continetur materia gravis, per certam quantitatem monetæ, in quo minus placent sententiæ supra rejectæ; cum enim moneta jam plus, jam minus æstimeretur juxta ipsius abundantiam, vel penuriam, & juxta abundantiam, & penuriam mercimoniorum, certè non bene determinatur ex certa illius quantitate generalis, & certa regula quantitatis furti, neque damni, ut bene notavit Molina, & cum ipso consimiliter omnes Theologi, cum necessaria ad diurnum victum unicuique personæ proportionatum facilius designabilia sunt, & comperta unicuique, simulque compertum sit, grave esse detrimentum ipsi, si cogatur per integram diem carere victu sibi necessario, & proportionato statui suo, hæc inter omnes censenda est generalis, & certa regula, continens gravitatem furti; ergo &c. Confirmatur. Si unusquisque ad se ipsum reflectat, nemo erit, qui non conquereretur contra alterum, si exprobraretur de eo, quod esset graviter invitus, eò quod privatus fuisset integra die victu sibi proportionato; ergo lumine naturæ apparet, illam esse materiam sufficientem ad rationabilem, & gravem indignationem. Quapropter sententia nostra sic explicata videtur non posse ab ullo negari, ut supponit Mald. tract. 4. cap. 1. de restitutione. Ex his apparet equidem moraliter certum esse materiã gravem, atque ex se læsivam charitatis, si auferas victum unius diei personæ, cui furaris, proportionatum; at ut bene notat ibidem ipse Malderus, superest aliud dubium, nempe, an sicut quantitas, quæ respondebat unius diei victui proportionato, sufficit ad furtum mortale, ita etiam requiratur pariter, ut minor quantitas relata ad quamcunque personam insufficientis sit ad constituendam materiam furti gravis? verùm de hoc agemus à numero 713.

702. Affero 4. Gravitatis injuriæ circa famam, & honorem eodem modo merienda est, nimirum si juxta qualitatem personæ sufficiens illa sit ad

rationabilem, & gravem indignationem. Probatum faciliè ex dictis; quia si talis non sit, sed sufficiens solum ad inducendam aliquam displicentiam, & tepiditatem in benevolentia, & pace mutua, à nullo prudente censetur illa injuria gravis, sed levis, seu venialis ex parte materię; e contra si injuria illa ex natura sua sufficiens sit ad rationabilem, & gravem displicentiam, nemo prudens censet illam materiam levem, sed gravem; ergo ista omnino assignanda est tanquam regula generalis. Confirmatur. Doctores illi, qui censent, non esse grave, sed leve, dicere de aliquo, esse iracundum, vel avarum, vel superbum, vel ignarum, non bene argumentatum esse, esse cæcum; aut dicere de Adolescente nobili, esse prodigum, & alia hujusmodi, exinde hoc inferunt, quia censent, per hæc non tam significari peccata, quam propositiones naturales per se omnibus notas, ratione quarum non potest alter esse gravior, & rationabiliter invitus, nisi fortè propterea vel esset valde contemnendus ab aliis, vel damnum aliquod notabile passurus esset præter infamiam, quæ in his detractionibusibi relucet; imò illi ipsi Doctores censent, grave esse propter oppositam rationem aliquos defectus naturales occultos manifestare, ut dicere de aliquo esse illegitimum, spurium, Hebræum, & alia hujusmodi, neque aliam proterius casu ratione assignant, nisi quia de ista læsione potest esse gravior, & rationabiliter invitus, non verò de altera; ergo nulla alia regula certa, & generalis est assignabilis, præter istam. Ex dictis

Fit 1. cum Cardinali de Lugo disp. 8. nu. 21. etiam dari in furto gravi materiam levem ratione temporis, ut si acciperes magnam quantitatem cum animo statim restituendi: ratio est, quia tunc non censetur Dominus graviter, & rationabiliter invitus. Quapropter magnum est discrimen inter istum casum, & alium, in quo accepisses magnam quantitatem cum animo retinendi, & postea statim dolens restitueris; nam in hoc casu peccasses graviter: ratio est, quia quamvis mutato statim animo restituas, illa tamen ablatio, ne jam sit grave nocuum in illis circumstantiis, non quia præcisè grave esset Domino carere re sua per illud tempus brevissimum, sed quia grave est carere re sua cum tanto periculo eam omnino amittendi, quantum considerare licet ex animo, quo illam furabaris; unde non solum esset peccatum internum damnificationis, sed etiam externum furti: siquidem illa ablatio externa effecta eo animo interno satis est, ut Dominus possit esse graviter, & rationabiliter invitus: unde satis est ad materiam gravem furti.*

Fit 2. Gravitatem, vel levitatem detractionis non sumi præcisè ex gravitate, vel levitate peccati, quod de aliquo dicis, quamvis aliqui Doctores oppositum doceant, sed de- bere

bere desumi ex fundamento præstito ex natura rei relatè ad talem personam ad gravem ipsius, & rationabilem displicentiam; ratio est, quia dicere peccatum de aliqua persona jam infamata, quod affine sit aliis peccatis ipsius personæ publicis, non censetur fundamentum ad gravem, & rationabilem ipsius displicentiam, ut de meretrice publica, & latrone dixi num. 695. alia verò valde leviora, quæ dicere de viro aliquo gravissimo, notissimæque dignitatis, & perfectionis, eo ipso quòd essent materia ad rationabilem, & gravem indignationem, reverrà censentur, & essent gravis materia detractionis, ut ibi diximus; ergo etiam in materia famæ, & honoris non desumenda est gravitas, & levitas detractionis à gravitate, vel levitate peccati, quod de aliquo dixeris, sed ab ipsa detractione relatè ad personam, ratione cuius rationabiliter potest graviter displicere, vel non displicere.

S E C T I O III.

Solvuntur Opposita.

705. **O**bjicies 1. contra primam assertionem: quòd aliqua læsio juris proprietatis sit, vel non sit graviter injuriosa, habetur ex ipsa natura rei, cum læsio illa sit fundamentum ad gravem, vel levem displicentiam personæ offensæ; ergo regula generalis non consideranda est ex respectu ad personam læsam. Resp. dist. antec. habetur ex natura rei relatè ad omnes omnino personas, nego, relatè ad personam affectam his, & non aliis circumstantiis, conc. antec. & nego consequentiam. Ratio est, quia, ut suprà diximus, illa actio, quæ respectu hujus personæ esset sufficiens ad gravem, & rationabilem indignationem, non est sufficiens ad gravem, & rationabilem indignationem relatè ad alteram personam affectam diversis qualitatibus; unde quamvis fundamentum habeatur ex natura rei, tamen ea natura consideranda est relatè ad personam, ut censetur gravis, vel levis: sic ex natura rei habetur, quòd materia ipsa informetur formâ; at quòd ista materia prima informetur hac, & non alterâ formâ, scilicet ligni, & non ignis, non habetur ex materia prima nudè sumpta, sed ex materia, ut effecta his, & non aliis dispositionibus oppositis.

706. **O**bjicies 2. contra secundam assertionem: ille titulus sufficit ad constituendam regulam generalem pro materia gravi injustitiæ in furto, qui daret occasionem ad materiam gravem, si non esset graviter prohibitus; ergo ex illo sumenda est regula generalis ad assignandum materiam gravem in furto. R. dist. ant. qui daret occasionem gravem omitt. ant. levem, neg. ant. & consequentiam. Ratio est, quia si daret occasionem tantum levem, non sufficeret ad rationabilem displicentiam gravem ratione rei

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

furtò acceptæ, ac proinde non sufficeret ad constituendum materiam gravem in furto. Quamobrem si Adversarij non agnoscunt materiam gravem in aliquo titulo, nisi justa ipsius repetitione, eo ipso ille titulus seorsim sumptus non sufficeret ad materiam gravem, quod est contra ipsos Adversarios, ut supra vidimus. Dixi *omitto antec.* quia si titulus ille solum impelleret, ut poneretur positiva prohibitio in aliqua specie virtutis, titulus ille nudè sumptus non sufficit ad inducendam malitiam gravem in ea specie virtutis, usque dum fieret contra prohibitionem, de quo satis diximus, agentes de prima rerum divisione.

707. **O**bjicies 3. contra tertiam assertionem. Quantitas requisita ad diurnum victum magni Principis non tam excedit quantitatem requisitam in mediocriter divite, quàm bona supremi Principis excedant bona mediocriter divitis; ergo ea regula generalis non sufficit ad destinandam materiam gravem respectu uniuscujusque. Confirmatur. Quantitas requisita ad diurnum victum magni Principis major est, quàm ea, quæ communiter assignatur ad peccatum injustitiæ contra ipsum; ergo ex hoc saltem capite rejicienda est hæc regula generalis. Resp. conc. ant. & nego consequ. quia regula generalis non desumenda est ex proportionatione bonorum, sed ex læsione sufficienti ratione quantitatis acceptæ ad gravem, & rationabilem indignationem Domini læsi; cum autem læsio ablativa victus diurni proportionati unicuique sufficiens sit ad rationabilem, & gravem displicentiam, sufficit quoque ad materiam gravem in ratione injustitiæ: unde proportio illa in bonis unius relatè ad bona alterius merè materialiter se habet, nec constituit rationem fortem materiæ gravis. Ad Confirmationem neg. antec. quia victus diurnus magni Principis, quantum ad ipsum attinet, dum sit tantum proportionatus, non potest excedere eam quantitatem, quam plures assignant, cum plures assignent 20. vel fortè 30. Julios respectu ditissimi Principis; ad valorem autem victus unius diei, & quidem magno Principi proportionati, ac proinde ad materiam gravem, contra ipsum multò minor quantitas sufficit, ut constabit à n. 716.

708. **Q**uapropter si minus accipiatur ex bonis pro ipso magno Principe destinatis, non censenda est materia gravis in ea ratione injustitiæ. Dixi *ex bonis pro ipso destinatis*; nam si magnus Princeps bona aliqua destinata haberet pro pauperibus, ad agnoscendam materiam gravem in furto illorum bonorum attendendus valor victus diurni requisiti, & proportionati tali pauperi; siquidem nemo prudens dubitabit, quòd relatè ad illa bona ratione illius quantitatis poterit Principi rationabiliter, & graviter displicere: sic bona Minorum, quorum dominium est apud Sedem Apostolicam, ex eo, quòd sint ea bona applicata ipsis à Sede Apostolica ad simplicem usum facti, & ad congru-